

Vigilius Romanus an. XVII mens. VI d. XXVII, sepultus ad s. Petrum.

Iste constituit, ut omnes querelae et negotia episcoporum deferantur ad apostolicam sedem. Istius tempore Roma obsessa est a Gothis, sed a Narse patricio liberata est occiso Totila. Ann. DXLI Indict. IV.

Pelagius Romanus an. IV mens. X d. XIX, sepultus ad s. Petrum.

Istius tempore Roma obsessa est a Gothis anno uno in circuitu, sed liberata est a Bellisario patricio.

Ann. DLVIII Indict. VI.

Johannes III Romanus an. XII mens. XI d. XXVI, sepultus ad s. Petrum.

Iste constituit certam esse provinciam, quae habeat X vel XI civitates et unum regem, unum metropolitani, X vel XI episcopos suffraganeos, et quicumque causam habuerit, a suis indicetur non ab alienis. An. DLXII Indict. X.

Benedictus Romanus an. IV mens. I d. XXVI, sepultus ad s. Petrum.

Istius tempore Italiam Longobardi venerunt.

Pelagius Romanus an. X mens. II d. X, sepultus ad s. Petrum.

Gregorius Romanus doctor an. XIII mens. VI d. X, sepultus ad s. Petrum.

Iste adiunxit in secreta missae: "Diesque nostros in tua pace;" et statuit pro quiete monachorum, ut nullus episcoporum vel laicorum unquam sumat de redditibus, rebus vel chartis, cellis, terris vel quibuslibet rebus monasteriis pertinentibus vel quocumque modo vel occasione minuire vel dolos aut immissiones facere vel vim inferre; et nullus clericus suscipiat regimina monachorum. Ann. DXCI Indict. IX.